

387

& complicibus reliquis, afferentes, DEUM qvandoqve statuere, qvæ anteà minimè, aut qvorum contraria decreverit ; solere etiam revocare sententiam suam adversus hunc vel illum jam sancitam. Glaucoma sibi ipfis offundunt, qvia mundum in tempore condendô evaserit creator, qvalis anteà non fuerit ; id qvod Philosophis qvoq; Ethnicis scrupulum injecit, ut cornutô inde ferirent Enthymemate, aut æternum esse mundum, aut DEUM mutabilem : Deinde, qvia in sacris etiam pœnitere dicatur, qvod Voluntatis arguat mutationem. Istæ tamen accuratiùs pensanti levi veritatis aurâ facile discutiuntur nebulæ. Quid enim qvæso eò advertis in DEO variabile, qvod hanc rerum produxit universitatem ? nihil accepit, nihil amisit in sese ideoqve nec in agente actio ista, sed objecto solummodò ponit mutationem, & qvamvis nova hinc surgit denominatio, non tamen est intrinseca, sed extrinseca, de qvâ ne vel minima in creante Subiecto alteratio ; nec compositionem facit, qvòd anteà audierit Causa Orbis in potentia, nunc verò in actu, qvæsi potentia illa priùs fuerit privata aliquâ perfectione, qvam posteà communicando rebus novum esse acceperit, adeòq; ex potentia passiva actuq; informante demùm completa extiterit : nihil enim tale in DEO locum habet, cùm sit actus purissimus, nihil unqvam involvens passivi. Nec qvicqva derogat pœnitentia in Scripturis decantata ; ut alia plura, sic & hoc ἀθωποπαθῶς Numini tribuitur intelligendum θεωπεπῶς. Etenim non designat affectum, ac si more humanô doleret de eventu præter spem ingruente, sed effectum, certa sub conditione jam prævisum ac susceptum, adeò, ut si, qvam hactenus suggescit gratiam, detrahatur impiis, aut aboleat, qvod fuit, pœnitere perhibetur, cùm anteà eâ lege ac fine agere constituisset : qvò spectant verba Augustini : *Ideo DEUS dicitur immutabilis, qvia in naturâ ejus ira, furor, pœnitentia, oblivio, recordatio, & alia his similia illi nullô modô accidunt : Simplex enim natura est, & immutabilis atqve imperturbata, neqve aliud est ipse, & aliud quod habet, & quod est.*

§. 5.

Immortalitatem vellicabat dogma Eutychianum mosq; lo-
E qvendi,